Libri precationum.
S. Ign. &c.

Lojola Ignacy

Officium (divinum) de S. Ignatio Confessore Soc. Jesu fundatore.

Lublini typis Coll. S. J.
1691.

$18^{43}/_{44}$.

W KRAKOWIE

W DRUKARNI UNIWERSYTECKIÉJ

1844.

OFFICIUM DIVINUM DE S. IGNATIO CONFESSORE, SOCIETATIS JESU FUNDATORE:

CUM OCTAVA,

Pro Sacerdotibus ejusdem Societatis.

Ex Octavario Romano à S. Rituum Congregatione APPROBATO.

Cum facultate Superiorum:
PRAGÆ primùm,
deinde LUBLINI,
Typis Collegij Societatis IESU,
Anno Domini, 1691.

Notandum.

ETsi multa Festa infra hanc Octavam in-currant, tamen Lectiones adduci, acsi nul[la] Festa incurrerent, in eorum gratiam, qui e[x] Indulto Sanctissimi D. N. CLEMENTI[S] Papæ X. semel in hebdomada (extra Adven-tum, & Quadragesimam) die non impeditâ festô Duplici, vel Semiduplici, Missam & Offi-cium de S. Ignatio Societatis IESU Funda-tore, & Parente, celebrant, & recitant.

IN FESTO S. IGNATII CONFESSORIS, NON PONTIFICIS.

DIE XXXI. IVLII.

Lectiones in primo Nocturno de Libro ~~Ecclef.~~ Beatus Vir. *ut in Comm: Conf: non Pont.*

Lectiones in secundo Nocturno ut in Breviar: propriæ.

In tertio Nocturno Lectiones ex Homilia S. *Gregorij Papæ in Evangelium:* Designavit Dominus, & alios septuáginta duos, &c. Dominus & Salvator noster, &c *de communi Evangelistarum extra tempus Pasch: ut in Breviar.*

SECVNDA DIE
Infra Octavam.

PRO FERIA SECUNDA.

Lectiones in primo Nocturno de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno Sermo S. Ioannis Chrysostomi. Beati Ignatij dies, cujus festivitatem, &c. *ut in Comm: Confess: non Pont. in Breviario.*

In tertio Nocturno Lectio S. Evangelij secundùm Lucam.

LECTIO VII. *Cap: 10.*

IN illo tempore: Designavit Domin⁹ & alios septuaginta duos: & misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem, & locum, quò erat ipse venturus. Et reliqua.

De *Homilia S. Gregorij Papæ, ex Hom: 17 in Evangelia.*

MIssis autem Prædicatoribus, quid dicat audiamus. Messis quidem multa, operarij autem pauci. Ad messem multam operarij pauci sunt, quod sine gravi loqui mœrore non possumus quia etsi sunt qui bona audiant, desunt qui dicant. Ecce mundus Sacerdotibus plenus est, sed tamen in messe Dei, rarus valde invenitur operator: quia officium quidem Sacerdotale suscipimus, sed opus officij non implemus. Sed pensate

Fra-

Fratres, mei, penſate quod dicitur: Rogate ergo Dominum meſsis, ut mittat operarios in meſſem ſuam: Vos pro nobis petite, ut digna vobis operari valeamus, ne ab exhortatione lingua torpeat, ne poſtquam prædicationis locum ſuſcepimus, apud juſtum Iudicem noſtra nos taciturnitas addicat. Tu autem Domine.

Lectio VIII.

SEd utinam, ſi ad prædicationis virtutem non ſufficimus, loci noſtri officium, innocentiâ vitæ teneamus! nam ſubditur: Ecce ego mitto vos, ſicut agnos inter lupos. Multi enim cùm regiminis curam ſuſcipiunt, ad lacerandos ſubditos inardeſcunt, terrorem poteſtatis exhibent, & quibus prodeſſe debuerant, nocent. Et quia charitatis viſcera non habent, Domini videri appetunt, patres ſe eſſe minimè recognoſcunt: humilitatis locum in elationem dominationis immutant: & ſi quando extrinſecùs blandiuntur, intrinſecùs ſæviunt. De quibus alias Veritas Dicit: Veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces.

LECTIO IX.

COntra quæ omnia conſiderandum nobis eſt, quia ſicut agni inter lupos mittimur, ut ſenſum ſervantes innocentiæ, morſum malitiæ non habeamus qui enim locum prædicationis ſuſcipit mala inferre non debet, ſed tolerare; u ex ipſa ſua manſuetudine, iram ſævientium mitiget, & peccatorum vulnera, i alijs ipſe afflictionibns ſanet. Quo tunc bene rector exhibet, cùm ſeipſum diligere per amorem privatum neſcit cùm nulla, quæ mundi ſunt, appetit cùm terrenæ cupiditatis oneribus, ne quaquam mentis colla ſupponit. und & ſubditur: Nolite portare ſacculum

Te Deum Laudamus.

TERTIA DIE

Infra Octavam.

PRO FERIA TERTIA.

In ſecundo Nocturno De *ſermone* S. *Ioanni Chryſoſtomi*. De S. *Philogonio ante medium.*

LECTIO IV.

AD hanc beatam requiem tranſijt beatus Ignatius, quænam igitur ora

tio

tio par ſit viri laudibus, quem Deus tam felici ſorte dignatus eſt? non eſt ulla. Sed age, dic mihi, utrum idcirco ſilebimus? & cujus rei gratiâ conveni-mus? an dicemus, nos haud poſſe ma-gnitudinem geſtorum oratione conſequi? atqui ob hoc ipſum neceſſe eſt dicere, quandoquidem hæc eſt præcipua laudũ illius pars, quod factis verba æquipara-ri non poſsint. Nam quorum benefacta naturam etiam ſuperant mortalem, per-ſpicuum eſt, quod horum laudes excedãt linguam humanam. Haud tamen ob id aſpernabitur officium noſtrum, quod il-li pro viribus præſtamus, ſed ſuum imi-tabitur Dominum: ſiquidem & ille vi-duæ duos tantùm obolos deijcienti in gazophylacium, non tantùm duorum o-bolorum mercedem, ſed multò ampliùs reddidit.

LECTIO V.

PRoindè quamvis noſtræ facultates exiguæ ſint, minimique pretij, atta-men quæ poſſumus offerimus. Et licet non reſpondeant magnitudini meritorũ animæ præclari, juſtique Ignatij; tamen hoc ipſum celſitudinis illius maximum

fuerit argumentum, quod nec pusilla repellat, sed idem faciat, quod solent divites. Siquidem illi, cùm acceperint à tenuibus exigua, quibus non egent, sua vicissim apponunt: remunerantes eos qui quod poterant obtulerint. Itidem & hic cùm acceperit à nobis laudem verbis peractam, quâ nequaquam eget, redonabit nobis per ipsa facta benedictionem, quâ semper uti possimus.

LECTIO VI.

VNde igitur laudationem illius auspicabimur? an à magistratu, quem spiritûs illi tradidit gratia? nam mundani Magistratus, nequaquam possunt Christianorum demonstrare virtutes, quin potiùs frequenter habent occasionem malitiæ. Quam ob causam? quoniam & solicitudines amicorum, & circumcursationes, & adulationes, aliaque permulta his fœdiora tales Magistratus solent conciliare. Cæterùm, ubi Deus suo suffragio designârit aliquem, incorruptum suffragium, alienum ab omni suspicione judicium, indubitata fuerit delecti comprobatio, propter ejus, qui delegit, auctoritatem.

In

In tertio Nocturno. Lectio S. Evangelij secundùm Lucam.

LECTIO VII. *Cap: 10.*

IN illo tempore: Designavit Dominus, & alios septuaginta duos: & misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem, & locum, quò erat ipse venturus. Et reliqua.

De Homilia S. Gregorij Papæ. Unde suprà.

PRædicatori tanta debet esse fiducia in Deo, ut præsentis vitæ sumptus, quamvis non provideat, tamen sibi hos non deesse certissimè sciat: nè dum mens ejus occupatur ad temporalia, minùs alijs provideat æterna. Quæ si quis verba etiam per allegoriam velit intelligi, in sacculo pecunia clausa est, pecunia vero clausa, est sapientia occulta. Qui igitur sapientiæ verbum habet, sed hoc erogare proximo negligit, quasi pecuniam in sacculo ligatam tenet. Unde scriptum est: Sapientia abscondita & thesaurus occultus, quæ utilitas in utrisque?

Paulò pòst.

LECTIO VIII.

ECce autem, qui ſacculum, & peram portare prohibuit, ſumptus, & alimenta ex eadem prædicatione concedit, nam ſequitur: In eadem autem domo manete, edentes, & bibentes, quæ apud illos ſunt: ut ab eis terrena ſtipendia conſequamur, quibus præmia vitæ cæleſtis offerimus. Vnde etiam Paulus hæc ipſa pro minimo ſuſcipiens, dicit: Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt, ſi veſtra carnalia metamus? & notandum, quod ſubditur: dignus eſt operarius mercede ſuâ, quia jam de mercede ſunt operis, ipſa alimenta ſuſtentationis, ut hic merces de labore prædicationis inchoëtur, quæ illic de Veritatis viſione perficitur.

Paulò pòſt.

LECTIO IX.

SEd quid nos (quod tamen dicere ſine dolore non poſſumus) quid nos, ô paſtores, agimus, qui & mercedem conſequimur, & tamen operarij nequaquam ſumus? Fructus quippe ſanctæ Eccle-

ſiæ

siæ in stipendio quotidiano percipimus, sed tamen pro æterna Ecclesia minimè in prædicatione laboramus. Pensemus, cujus damnationis sit, sinè labore hîc percipere mercedem laboris. Ecce oblatione fidelium vivimus, sed nunquid pro animabus fidelium laboramus? illa in nostrũ stipendium sumimus, quæ pro redimendis peccatis suis fideles obtulerunt; nec tamen contra peccata eadem, vel orationis studio, vel prædicationis, ut dignum est, insudamus.

Te Deum Laudamus.

QVARTA DIE

Infra Octavam.

PRO FERIA QVARTA.

In secundo Nocturno. De sermone S. Ioannis Chrysostomi. Unde suprà.

LECTIO IV.

QVantum autem sit pietatis argumentum, quod Deus illum tanto magistratu dignum judicaverit, audi, Christus excitatus à morte sua, quid dicat Petro. postquam enim illum

rogâsset, Petre amas me? isque respo disset: Tu Domine scis, quòd amo te, dicit illi: Si diligis me, pasce oves mea Hoc autem dicebat, non solùm, ut nob certissimè declararet, quantopere ipsu diligeret Petrus: verùm etiam, ut pal faceret, quantam haberet benevolenti erga suas oves. Itaque si quis voluer illi commendatus esse, curam habea ovium illius, publicam quærat utilitatem, fratrum suorum saluti prospiciat. Tu autem Domine.

LECTIO V.

NVllum enim officium hoc Deo charius est, & ob id alicubi dicit: Simon, Simon, expetivit te Satanas, ut cribraret te tanquam triticum: sed ego rogavi pro te, nè deficiat fides Tua. Quod igitur hujus solicitudinis, curæque præmium mihi rependis? eandem curam, quam nobis impendit, reposcit. Nam & tu, inquit, aliquando conversus, confirma fratres tuos. Neque prorsus alia res est, quæ perinde declaret, doceatque quis sit fidelis, & amans Christi, quàm si fratrum curam agat, proque illorum salute gerat solicitudinem.

Lectio

LECTIO VI.

HÆc omnes audiant & monachi, qui montium occupârunt cacumina, quique modis omnibus seipsos mundo crucifixerunt, quo pro viribus Ecclesiarum præfectos adjuvent, horũque curas leniant, precibus, concordiâ, charitate; scientes, quòd nisi modis omnibus opitulentur ijs qui tot periculis objiciuntur, per gratiam Dei, totque negotiorum curas sustinent, quibuscunque possunt rationibus auxilientur, quanquàm procul habitantes, & victus sors ipsis periîsset, & tota in scopulum impegisset sapientia.

In tertio Nocturno. Lectio S. Evangelij secundùm Lucam.

LECTIO VII. *Cap: 10.*

IN illo tempore: Designavit Dominus, & alios septuaginta duos: & misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem, & locum, quò erat ipse venturus. Et reliqua

De *Homilia S. Gregorij Papæ. Unde suprà.*

Sed

SEd quando nos corrigere vitam valemus alienam, qui negligimus nostram? curis enim sæcularibus intenti tantò insensibiliores intus efficimur quantò ad ea quæ foris sunt, studiosiores videmur. Vsu quippe curæ terrenæ à cœlesti desiderio animus obdurescit & dum ipso suo usu durus efficitur per actionem sæculi, ad ea emolliri non valet, quæ pertinent ad charitatem Dei. Sacerdos enim non distat à populo, quãdo nullo vitæ suæ meritò vulgi transcendit actionem. Ploremus Ieremiæ lacrymis: Quomodo obscuratum est aurũ mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum? aurum quippe obscuratum est quia Sacerdotum vita, quondam per gloriam virtutum clara, nunc per actiones infimas ostenditur reproba.

Lectio VIII.

COlor optimus est mutatus: quia ille sanctitatis habitus per terrena & abjecta opera ad ignominiam despectionis venit. Lapides verò sanctuarij intrinsecus habebantur, nec sumebantur

tur in summi Sacerdotis corpore, nisi cùm Sancta Sanctorum ingrediens, in secreto sui Conditoris apparebat. Nos ergo sumus lapides sanctuarij, qui apparere debemus semper in secreto Dei, quos nunquam necesse est foris conspici, id est, nunquam in extraneis actibus videri; sed dispersi sunt in capite omnium platearum, quia hi, qui per vitam, & orationem intus semper esse debuerant, per vitam reprobam foris vacant. Ecce jam penè nulla est sæculi actio, quam non Sacerdotes administrent.

LECTIO IX.

Paulò pòst.

POnamus ante oculos nostros illum tantæ districtionis diem, quo Judex veniet, & rationem cum servis suis, quibus talenta credidit, ponet. In illo tanto examine, Electorum omnium, & reproborum multitudo deducetur, & unusquisque quid sit operatus, ostendetur. Ibi Petrus cum Judæa conversa, quam post se traxit, apparebit. Ibi Paulus conversum, ut ita dixerim, mundum ducens. Ibi Andreas, post se Achaiam,

Ibi

Ibi Joannes Asiam, Thomas Indiam in conspectum sui Judicis conversam ducent. Ibi omnes Dominici gregis arietes, cum animarum lucris apparebunt, qui sanctis suis prædicationibus Deo post se subditum gregem trahunt. Cum igitur tot Pastores cum gregibus suis ante æterni Pastoris oculos venerint, nos miseri quid dicturi sumus, qui ad Dominum nostrum post negotium vacui redimus?

Te Deum Laudamus.

QVINTA DIE
Infra Octavam.

PRO FERIA QVINTA.

In secundo Nocturno. Ex libro Moralium Gregorij Papæ. Deridetur justi simplicitas &c. *ut in Breviar: de Comm: Confessor: non Pontificis.*

In tertio Nocturno. Lectio S. Evangelij secundum Lucam.

LECTIO VII. *Cap: 10.*

IN illo tempore: Designavit Dominus, & alios septuaginta duos, & misit illos

binos

binos ante faciem suam in omnem civitatem, & locum, quò erat ipse venturus. Et reliqua,

Homilia S. Ambrosij Episco: lib: 7. in Lucæ cap: 10.

SI quem movet, quâ ratione in Ægypto calceati jubentur edere agnum, Apostoli autem sine calceamentis ad prædicandum Evangelium diriguntur: is considerare debet, quia in Ægypto positus debet adhuc morsus cavere serpentis: multa enim venena in Ægypto. Et qui in Typo Pascha celebrat, patêre potest vulneri: qui autem minister est Veritatis, evitat venena, non trepidat. Et ut scias hoc verum esse, ipse Dominus ait: Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & supra omnes virtutes inimici, & nihil vobis nocebunt.

LECTIO VIII.

NOn virgas in manu jubentur tollere Apostoli. Quid est Virga nisi proferendæ potestatis insigne, & ulciscendi instrumentum doloris? Ergo humilis Domini (in humilitate enim judicium ejus sublatum est:) humilis in-

quam, Domini præceptum, discipuli ejus humilitatis officijs exequuntur: eos enim misit ad seminandam fidem, qui non cogerent, sed docerent; nec vim potestatis exercerent; sed doctrinam humilitatis attollerent. Habet tamen quos & cum virga Apostolos miserit, sicut Paulus testificatur, dicens: Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate & spiritu mansuetudinis? Hanc virgam & Timotheo dedit Apostolus dicens: argue, obsecra, increpa. Aut fortasse ante Passionem Domini, quæ nutantium populorum corda firmavit, necessaria sola fuerit mansuetudo, post passionem correptio.

LECTIO IX.

CErte mulceat Dominus, increpet Paulus; suadeat, qui potest pectora etiam dura mollire: arguat, qui non potest universa suadere. Virgam igitur Paulus ex doctrina Legis assumpserat: legerat enim: Qui parcit baculo, odit filium suum. Et ideo Dominus in veteri Testamento ait: Visitabo in virga iniquitates eorum. In novo autem se-psum obtulit, ut ignosceret universis

dicens:

dicens: Si me quæritis, ſinite hos abire. Sed & Paulus virgam quidem minatur, ſed in ſpiritu manſuetudinis viſitat delinquentes. Denique, ut ſcias mitem eſſe doctorem: eorum ipſorum, quos arguit, conſulit voluntatem. Quid vultis, inqnit, in virga veniam ad vos, an in charitate, & ſpiritu manſuetudinis? ſemel virgam dixit, his mitiora ſubjecit, adijciens manſuetudinem charitati.

Te Deum Laudamus.

SEXTA DIE

Infra Octavam.

PRO FERIA SEXTA.

In ſecundo Nocturno. Ex lib: Moralium S. Gregorij Papæ Lib: 10. cap: 15. in cap: 12. Iob.

LECTIO IV.

BEne juſti ſimplicitas, & lampas eſſe dicitur, & contempta: lampas quia interiùs lucet, & contempta, quia exteriùs non lucet. Intus ardet flammâ charitatis, foris nullâ gloriâ reſplendet decoris. Lucet ergo, & deſpicitur, qui flagrans virtutibus, abjectus æſtimatur. Sed uſquequo lampas iſta contemnitur?

9110

usquequo despicabilis habetur? nunquid non fulgorem suum nullatenus exerit, & nunquam quantâ claritate candeat ostendit? ostendit planè; nam protinus additur: Parata ad tempus statutum. Statutum quippe contemptæ lampadis tempus est, extremi judicij prædestinatus dies, quo justus quisque, qui nunc despicitur, quantâ potestate fulgeat, demonstratur. Tu autem Domine.

LECTIO V.

TVnc enim cum Deo judices veniunt, qui nunc pro Deo injustè judicantur. Tunc eorum lux tantò latiùs emicat, quantò eos nunc manus persequentium durius angustat. Tunc reproborũ oculis patescet, quòd cœlesti potestate subnixi sunt, qui terrena omnia sponte reliquerunt. Vnde electis Veritas dicit: Vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super duodecim sedes judicantes duodecim tribus Israël. Neque enim plus, quàm duodecim judices illa interni confessûs curia non habebit, sed nimirum duode-

nario

nario numero quantitas universitatis exprimitur: quia quisquis stimulo divini amoris excitatus hîc possessa reliquerit, illic proculdubio culmen judiciariæ potestatis obtinebit.

LECTIO VI.

HInc est enim, quod de sanctæ Ecclesiæ Sponso, per Salomonem dicitur: Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ. Hinc Isaias ait; Dominus ad judicium veniet cum senioribus populi sui. Hinc eosdem seniores Veritas, non jam famulos, sed amicos denuntiat, dicens: Non jam dicã vos servos, sed amicos meos. Quos Psalmista innuens, ait: Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus. Quorũ dum celsitudinem cordis aspiceret, mundi gloriam quâ calce calcarent, protinus addidit: Nimis confortatus est principatus eorum. Ac ne paucos esse crederemus, quos proficere usque ad summum tantæ perfectionis agnoscimus; illicò adjunxit: Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur. Quot itaque nunc pro amore veritatis sese libenter humiliant, tot tunc in judicio lampades coruscant.

In tertio Nocturno. Lectio S. Evangelij secundùm Lucam.

LECTIO VII. *Cap: 10.*

IN illo tempore: Designavit Dominus, & alios septuaginta duos: & misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem, & locum, quò erat ipse venturus. Et reliqua.

De *Homilia S. Ambrosij Episcopi. Unde sup à.*

FOrtasse quibusdam hoc durum, & superbum, nec mansueti, & humilis Domini præcepto convenire videatur, quòd ille, qui etiam accubitionis loco præcipit esse cedendum, hoc loco mandet Discipulis: neminem salutaveritis in via; cùm ille communis sit usus gratiæ. Sic inferiores superiorum sibi favorem conciliare consueverunt. Gentiles quoque cum Christianis habent hujusmodi officiorum commercia: quomodo Dominus hunc usum humanitatis avellit?

LECTIO VIII.

SEd considera, non hoc esse solum. Neminem salutaveritis sed frustra additum, in via. Deniq; & Elisæus, cùm mitte-

mitteret servum suum, ut baculum ejus poneret supra corpus defuncti pueruli, mandavit ei, nè per viam aliquem salutaret. Festinatio enim jubebat eum contendere, ut celebrandæ resurrectionis exequeretur Officium, nè confabulatione alicujus obvij, mandato deflecteretur à munere.

LECTIO IX.

ERgò & hîc non salutationis officiũ aufertur, sed obstaculum impediendæ devotionis aboletur; ut quando divina mandantur, paulisper sequestrentur humana. Pulchra est salutatio: sed eò pulchrior, quò præceptorum maturior executio divinorum, quæ per morã sæpe traxit offensam. Ideò autem & honesta prohibentur, nè solennis gratia obrepat officij, & impediat ministerium, cujus mora culpa sit.

Te Deum Laudamus.

SEPTIMA DIE

Infra Octavam.

PRO SABBATO.

In secundo Nocturno. Sermo S. *Bernardi Abbatis Serm. 1. de S. Victore.*

LECTIO IV.

SAncti Ignatij vita, & gloria specialis, non tam ad gloriam, quàm ad virtutẽ provocat omnes, qui recto sunt corde. Non recti planè, sed perversi est animi, antè quærere gloriam, quam exercere virtutem; & velle coronari, qui legitimè non certaverit. vanum est vobis, inquit, ante lucem surgere. Ita est: frustra ad celsitudinem nititur gloriæ, qui priùs non claruit virtute. Frustra fatuæ Virgines Sponso obviam surgunt, quarum lampades extinguuntur: & ideo fatuæ, quia vacuis gloriantur lampadibus, virtutis oleum non habentes. Tu autem.

LECTIO V.

VIrtus gradus ad gloriam: virtus mater gloriæ est. Fallax gratia & vana est pulchritudo, quam illa non parturivit. Sola est, cui gloria jure debetur, & securè impenditur. S. Ignatio nec virtus, nec gloria deest: sed quemadmodum ambæ res, & quo ordine in homine processerint, id operæ prætium intueri. Habemus enim dilectissimi, in vita S. Ignatij, & quod dignè miremur, & quod

quod salubriter imitemur. Tutiùs sanè æmulanda solidiora quam sublimiora; & quæ magis virtutem redoleant, gloriam minùs. Studeamus proinde moribus conformari, cui in mirabilibus similari, etsi volumus, non valemus.

Lectio VII.

ÆMulemur in viro sobrium victum, devotum affectum, æmulemur mansuetudinem spiritus, castimoniam corporis, oris custodiam, animi puritatem, ponere frænum iræ, & modum linguæ, dormire parciûs, orare frequentiùs, cōmonere nosmetipsos psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, diebus jungere noctes, & divinis laudibus occupare: æmulemur charismata meliora. Æmulemur, inquam, quod exstitit liberalis in pauperes, patiens ad peccantes, benignus ad omnes. Hoc enim melius. In his forma est, cui imprimamur: in miraculis gloria, à qua reprimamur. Illa lætificent: non moveant.

In tertio Nocturno. Lectio S. Evangelij secundum Lucam.

LECTIO VII. *Cap: 10.*

IN illo tempore: Designavit Dominus & alios septuaginta duos; & misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem & locum, quò erat ipse venturus. Et reliqua.

De *Homilia S. Augustini Episcopi Serm: 41. de Sanctis circa medium.*

IPse Dominùs noster loculos habuit in via, & ipsos loculos Judæ commendaverat. Patiebatur quidem furem; sed ego à Domino meo discere cupiens, dico: Domine, patiebaris furem, unde habebat unde tolleret? Me hominem miserum, & infirmum monuisti nec sacculum portare: tu portâsti loculos, & erat ubi furem patereris; Si non portares, nec ille inveniret quod auferret. Quid restat? nisi, quod hic dicat mihi: Intellige quod audis. Noli portare sacculum. Quid est portare sacculum? pecunia clausa, id est, occulta sapientia. Nolite fieri sapientes penes vosmetipsos. Accipite Spiritum Sanctum. Fons in te debet esse non sacculus; unde erogetur, non ubi includatur.

Le-

LECTIO VIII.

Paulò Pòſt.

NEminem in via ſalutaveritis. Poteſt quidem & ſimpliciter ſic accipi, quiá iuſsit nos feſtinanter agere injuncta. Sed eſt aliud, quod hîc magis recogitem non diſsimile intelligere, quod plus pertinet ad me, & ad omnes diſpenſatores, ſed & ad vos auditores. Qui ſalutat, ſalutem dicit. nam & antiqui in Epiſtolis ſuis ſic ſcribebant. Ille illi ſalutem. Salutatio à ſalute nomen accepit. Quid ergo eſt, neminem in via ſalutaveritis? qui ſalutant in via, per occaſionē ſalutant. Video vos citò intellexiſſe, nec tamen debeo iam finire: non enim omnes citò intellexiſtis. Sed quia de via loquimur, tanquam in via ambulemus. Veloces tardos expectate, & pariter ambulate.

LECTIO IX.

QVid ergo dixi, qui in via ſalutat, per occaſionem ſalutat? non ad eū ibat, quem ſalutat, aliud agebat, aliud occurrit; aliud patebat, aliud tranſverſo quod ageret invenit. Si ergo prædicas, hoc age per dilectionem, non per oc-

casionem. Sunt ergo homines, qui sua quærentes, non aliud prædicant Evangelium: de quibus Apostolus gemens dicit: Omnes enim sua quærunt, non quæ IESV Christi. Et hi salutabant, hoc est salutem annuntiabant, Evangelium prædicabant sed aliud quærebant, & ideo per occasionem salutabant.

Te Deum Laudamus.

IN DIE OCTAVA.

In secundo Nocturno De sermone S. Bernardi Abbatis. Serm: de S. Victore.

Lectio IV.

GAudete in Domino, dilectissimi, qui inter continua suæ pietatis beneficia indulsit hominem mundo, cujus multi salvarentur exemplo. Iterum dico gaudete quod factus de medio appropinquavit Deo ut multò plures ejus intercessione salvèntur. In terris visus est, ut esset exemplo: in cœlum levatus est, ut sit patrocinio. Hic informat ad vitam, illic invitat ad gloriam. Factus est mediator ad regnum, qui fuit incitator ad opus. Bonus mediator: qui sibi jam postulans nihil, totum in nos transferre desiderat,

&

& supplicantis affectum, & supplicationis fructum. Quid enim quærat sibi, qui nullius eget? Tu autem.

LECTIO IV.

HÆc dies gloriosæ migrationis ejus, dies lætitiæ cordis ejus: exultem', & letamur in ea. Introivit in potentias Domini gaudeamus: qui nunc potentior est ad salvandum. Hodie Ignatius posito corpore, tantò expeditior penetravit in sancta, similis factus in gloria sanctorũ. Hodie despecto mundo, & mũdi principe triumphato, supra mundũ victor ascendit, accipiens de manu Domini coronam victoriæ. Ascendit autem cum immensa supellectili meritorum, clarus triumphis, miráculis gloriosus. Sedet veteranus miles, debitâ jam suavitate & securitate quietus: securus quidem sibi, sed nostri solicitus. O venerandam etiam ipsis Angelis sanctitatem, quam pari studio, etsi dispari voluntate, & mali fugitant, & frequentant boni. Nec facilè dixerim, quid virum adstruat sanctiorem, horum favor, an pavor illorum.

LECTIO VI.

O Miles emerite, qui Christianæ militiæ duris laboribus, Angelicæ fe-

licitatis requiem commutâsti: respice ad imbelles, & imbecilles, commilitones tuos, qui inter hostiles gladios, & spirita-les nequitias tuis laudibus occupamur. Quam pium, quam dulce, quam suave, ô Ignati, in hoc locô afflictionis, & in hoc corpore mortis te canere, te colere, te precari! Nomen tuum & memoriale tuum, distillans in labijs captivorum; mel, & lac sub lingua eorum, qui tui memoria delectantur. Eja ergo fortis Athleta, dulcis Patrone, advocate fidelis, exurge in adjutorium nobis; ut & nos de nostra ereptione gaudeamus, & tu de plena victoria glorieris.

In tertio Nocturno. Lectio S. Evangelij secundùm Lucam.

LECTIO VII. *Cap: 10.*

IN illo tempore: Designavit Dominus, & alios septuaginta duos: & misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem, & locum, quò erat ipse venturus. Et reliqua.

Homilia Venerabilis Bedæ Presbyteri. Ex Comment: in Lucam.

Sicut

SIcut duodecim Apoſtolos formam Epiſcoporum exhibere ſimul & præmonſtrare, nemo eſt, qui dubitet, ſic & hos ſeptuaginta duos figuram presbyterorũ, id eſt, ſecundi Ordinis Sacerdotum geſſiſſe ſciendum eſt: tametſi primis Eccleſiæ temporibus, ut Apoſtolica ſcriptura teſtis eſt, utriq; Presbyteri, utriq; vocabantur Epiſcopi: quorum unum ſapientiæ maturitatem, alterum induſtriam curæ paſtoralis ſignificat. Bene ſeptuaginta duo mittuntur: ſive quia totidem mundi gentibus Evangelium prædicandum erat: ut quomodo duodecem tribus Iſráél; ita & hi propter exteras Gentes deſtinarentur imbuendas! ſeu quod ipſo prædicantiũ numero totus orbis per Evangelium ſummæ & individuæ Trinitatis illuſtrandus intimabatur.

LECTIO VIII.

SIcut Solem hunc conſtat triduanum ſuæ lucis ambitum mundo per ſeptuaginta duas horas afflare ſolitum: nam & Dominꝰ ipſe ſe diem, ſuos vero Apoſtolos horas appellat, dicens: Nonne duodecim horæ ſunt diei? ſi quis ambulaverit in die, non offendit. Et in Pſalmis præ-

cipi-

cipitur: Bene nuntiate diem de die, salutare e
hoc est lumen de lumine, DEUM verum
DEO vero, Sed & in veteri Testamento popu
ad montem Sinai perveniens, die tertia legem a
cepit. Idem fluvium Iordanem, quo Baptismi gra
tia commendata est, te t a quam adierat, die tran
sivit.

LECTIO IX.

Paulò pòst.

ET dicebat illis: Messis quidem multa operarij autem pauci. Messis multa, populorum significat multitudinem; Operarij pauci, penuriam. Isti sunt operarij, de quibus Psalmista loquitur: qui seminant in lacrymis, in gaudio metent. Euntes ibant, & flebant portantes semina; Venientes autem venient in exultatione portantes manipulos suos. Et ut apertiùs loquar, Messis multa, omnis turba credentium est. Operarij pauci, Apostoli & imitatores eorum, qui mittuntur ad messem.

Te Deum Laudamus.

ORATIO.

DEus, qui ad Majorẽ tui Nominis gloriam propagandã novo per B. Ignatiũ subsidio militantẽ Ecclesiam roborasti; concede, ut ejus auxilio, & imitatione certantes in terris, coronari cum ipso mereamur in cœlis. Per Dominum nostrum IESUM Christum, &c

Reliqua omnia de Communi Confess non Pontif. ut in Breviario.

A. M. D, G.

PROGRAMMA

POPISÓW PUBLICZNYCH

UCZNIÓW

LICEUM KRAKOWSKIEGO Ś. ANNY

Z ROKU SZKOLNEGO